

X 231648

II g  
232

ax  
515  
17

\* \* \*

D. O. M. A.

MODESTVM IVDICIVM  
DE  
SCHOLASTICIS  
TESTIMONIIS  
AEQVIORIBVS  
ARBITRIS SVBMITTIT  
SIMVLQVE  
AD  
SERMONEM ALIQVEM  
ΑΠΟΒΑΤΗΡΙΟΝ  
BENEVOLE AVDIENDUM  
OMNES MVSARVM FAVTORES  
QVA PAR EST OBSERVANTIA  
INVITAT  
M. IO. CHRISTIAN. STEMLERVS  
SCHOLAE SENATORIAE RECTOR

---

NVM BV RGI  
LITTÉRIS BALTHASARIS BOSSEGELII





\* \* \*

Rimus est CHRISTIANVS ER-  
NESTVS OETTELIVS, *Tripti-  
zio Variscus*, qui, ex quo diuinis  
auspiciis regendae huius scholae  
prouinciam suscepi, confecto tem-  
poris, in litterato coetu exigendi, curriculo, hinc dis-  
cedit, et sibi operae apud nos collocatae expetit tes-  
timonium. Quod vt honesto adolescenti non po-  
tuimus denegare: ita commoda nobis haec visa est  
ocasio aperte quidem ac libere, sine omni tamen  
acerbitate, declarandi, quid de testimoniis, quibus  
ornari solent abeuntes ex puluere, et in academias  
sua prolaturi studia, iudicemus.

Bene profecto ac sapienter magistri agunt, qui  
institutos ab se discipulos, amplissima laude conde-  
coratos, dimittunt, si videlicet hi ita semetipsos sem-  
per instruxerunt, vt, studiorum suorum ducibus  
verecundo deuincti obsequio, placidumque viuen-  
di genus amplexi, aequalibus, quanta moris elegan-  
tia, tanto liberalis scientiae cultu praestarent, spem-  
que sui praeberent non contemnendam. Quamuis  
enim pulchra et amabilis virtus habet in se, quod ex-  
petatur, nec aliorum indiget commendatione;  
quippe quae, ipsa sibi testis, omnium voluntates fa-  
uoremque sua dignitate allicit, ac decus vbique in-  
temeratum seruat: tantum tamen abest, vt, quas  
non

non ambitiose postulauerat, laudes pertinaciter re-  
cuset oblatas, vt potius praestantissimam in illis re-  
cte factorum mercedem reponat, iisque, tamquam  
aculeo, ad languentes hominum animos incitandos  
vtatur. Hinc iam suo aeuo Thales, sapiens ille in an-  
tiquis ac seuerissimis spectatus exemplis, dimissum  
ex sua disciplina Pythagoram inuidendo propemo-  
dum elogio ornauit \*, relicturus magistris docu-  
mentum, nec eos iuuenes, qui suas ipsi virtutes non  
fallaci indicio patefacere aliis ac probare possunt,  
hoc priuandos esse praemio, vt sua perfruantur glo-  
riola, et currentes quoque acrioribus his stimulis  
ad omne decus auidius consectandum instigentur.  
Sunt praeterea parentes, quibus ratio studiorum  
constare debet; sunt Maecenates, quibus, quo mo-  
do suam in scholis confecerint aetatem, adolescen-  
tes testatum facere eo magis iubentur, quo certius  
est, ex huius instituto plerumque sequentium anno-  
rum pendere felicitatem. Vt taceam, euenire non  
numquam tempora, vbi nulla res alia consolari  
potest magis, quam graue testimonium a praece-  
ptoribus impertitum, nos praecipue, qui, dum his  
seculi vitiis emendandae iuuentutis profitemur di-  
sciplinam, in hominum importunorum ac profliga-  
torum quotidianos impetus obiicimur. Dici enim  
vix potest, quantum hoc a solitudine abducat, si

) 5

\* SCHRADERVS *de Pythagora* §. XXIX.

non modo ipsi exploratum habeamus, non sentire nos Dei iudicis iram, vita male in scholis acta in nos deriuatam; sed etiam laude a magistris tributa nos contra effrenatam iuuenum audaciam armare queamus. Hoc se olim muniebat praesidio Koeberus, aevi sui Neander, ab indomitae licentiae adolescentibus identidem oppugnatus. Quo loco non possum non commemorare studiorum meorum praesidem, cuius apud me sancta semper ac venerabilis erit memoria. Hic subinde se inter molestias, cum quibus conflictabatur, dato a magistris vitae testimonio recreabat, ac, velle se, ut hoc olim mortui supponatur capiti, indicabat. Equidem tantos mihi spiritus, tantamque temere arrogantiam non sumo, vt parem me arbitrer viro nulli secundo: dabit tamen, vt spero, hanc mihi, grato discipulo, veniam optimus praeceptor, vt in huius me societatem gloriae offeram atque audacius paullo expromam, commendationem, qua in academiam discedens, ab eo ornatus sum, aheneum mihi esse murum, quoties res est cum adolescentibus, qui, refractarii instar equi, nunc recalcitrant, nunc frenas mordent, nunc rigidam ceruicem obiectant, nec vlla flecti cohortatione possunt, quin indigne multa petulanterque faciant. Satis autem, vt opinor, hinc intelligetur, quod in hoc scriptorum genere singulari cautione opus sit, ne inconsulte magistri laudent disci-

discipulos, fidemque negligant, atque a gratia defle-  
cti se patiantur in transuersum. Quod utinam om-  
nes, qui communi nomine iuuenes commendant  
aliis, accurate obseruarent, nec vnquam vel pluscu-  
lum amori, quam concedit veritas, largirentur. Sed  
huc ventum est culpa magistrorum, vt nulla prope-  
modum testimoniis relinquatur fides, nulla aucto-  
ritas. Moriar, si vel stili intemperantia virorum be-  
ne meritorum oppugnare existimationem, vel in-  
uidiosa seueritate animaduersionis cuiusquam of-  
fendere voluntatem animus est: iudices tamen esse  
volo aequos homines, an non impertita iuuenibus  
testimonia laudes saepe mentiantur. Sunt, qui, licet  
effuso in libidinem animi impetu, omnem cum pu-  
dore proiecerant virtutem, et flagitiosa viuendi ra-  
tione diuinas humanasque leges perfrugerant, et  
ipsius naturalis honestatis obtriuerant decus, nihilo-  
minus pro castigatione improbitatis et moris ad-  
summam proiecti licentiam, honorificentissimum  
hoc testimonium consequuntur, quod omnibus et  
litterarum praesidiis et ornamentis virtutum abun-  
dent. Cum nonnullis tam bene agitur, vt quum vix  
tria verba latina loqui possint, et in ceteris parum  
supra Parmenonis suam sapiant, praeclaris ornentur,  
vel onerentur potius, elogiis. Achilleum de aliquo  
praedicatur robur, qui patriae vix Thersiten dare  
potest. Commode in mentem venit TAVBMAN-  
NI,

NI, cuius scripta plena veteris lepōris, immo falsiora, quam illi Atticorum ac Romanorum urbani sales, quoties lego, toties antiquae festiuitatis videre mihi in illis videor imaginem. Hic cum illum fascēs academiae tenentem plures adirent, qui vitae studiorumque testimonia expeterent, *interiorem animi sui sensum de toto hoc descriptionis genere sic aperit: videmus non illius solum Martialis et sagatae, sed et litteratae huius togataeque militiae alumnos chartas et amplitudine, et titulis, et cetera insignes circum ferre, ad quarum conspectum, tanquam ad caput Gorgonis, obvios quosque horrere et obstupescere postulant. Verum enim vero, si ex me, quid mihi videantur eiusmodi testimonia, quaeras, de plerisque ausim tibi respondere, quod Pacuius, Tragoediae scriptor vetus, de iuris iurandi formulis dixit: sunt mantilia, quibus exterguntur quotidianae noxiae. Profecto ita est. Ecce enim talis aliquis ἀσωτίας insimulatur: statim arrepto testimonio, velut mantili, hanc noxam extergit, quippe in quo laus modestiae singularis ipsi publice tribuatur. Crimen pigritiae impingitur? statim ad testimonium, et hinc probat, se totius viciniae fabros, et gallos etiam gallinaceos antelucana industria vicisse. Iam si homini laudem eruditionis detractum iueris: cuncta demum acies explicatur, et tibi ista verba, non cursiuis, sed capitalibus litteris praescripta, ostentantur: Nonster omnes artes liberales didicit: idem in vtraque oratione Graeca & Latina, prosa & numeris adstricta*  
pla-

plane excellens est. *Haec cum tibi praeleguntur, quidni erubescas et taceas? Quis enim Polydamas audeat istos Hectoras? aut cui titulorum et ceræ purpuratus iste fulgor oculos non praestringat? sed, quicquid sit, meos certe non temere poterit. Ampullas istas et carbaseos litterarum sinus, quibus multi in speciem et pompam se circumdant, non amo, sed amabiles.\* Sunt haec eo magis digna, quae perpendantur, quo grauius peccant, qui laudant homines, quorum vita et mores testimonio non respondent. Fallunt enim parentes, fallunt Maecenates, fallunt publicam rem, denique fallunt adolescentes, qui, licet mentitis laudibus cumulati, abierint ex schola, tanto tamen plus suscipiunt dedecoris, quanto longius ab officio recedunt. Facta probant virum, fidemque faciunt dictis, et inuitant alios, ut diligant homines, quos ipsa moris integritas magis commendat, quam, mutae testes, litterae. Contra vero vita dissentiens a testimonio et magistri conuellit auctoritatem, et dignitatem discipuli, honoremque rerum gestarum humilitate proiectum extinguit. Merito illos ridemus, qui, cum ex gente *Piccolominorum* et *Piccininorum* nati videantur \*\**

Con-

\* vid. *otium semestr. public. p. 126. seq.* \*\* His, quod iusto breuiorem haberent staturam, hoc nomen datum est, adnotante NAVDAEO in *praefat. ad Niphi opuscul. De Contaren.* vid. BONIFACII *elog. Contaren. p. 29.* LVCIANVS eos acuta dictione perstringit, qui βαχύτεροι ὄντες ὑπερβαρεῖν ἔχουσι, ἀνοποδῆν ἐπεχειροῦντες ἑαυτοῖς. *imag. p. 21.* SENECA false eos exagitat, qui mendacio staturam adiuvant, longioresque, quam sunt, videri volunt; *epist. CXI.*

AK Tg 232

Contareni, *grandis* nomine conspicui esse volunt: et quis est cordatorum, cui non ludibrium debeant homines non pu-  
 filli modo, sed inanis et ieiuni animi, qui ex praecepto-  
 rum testimoniis, de industria ad laudem compositis, grande  
 decus captant & maiorem amplitudinis induunt persua-  
 sionem? Qui fidem ac religionem in rebus sanctissimis ha-  
 bent, praeceptores, satius esse iudicabunt, gloriae faces, quae  
 in maximis ingeniis exardescunt, subtrahi animis, quam sub-  
 dita materia ali, nostra cum primis aetate, qua praecocem sa-  
 pientiam sibi multi temere tribuunt, statimque sciunt omnia,  
 neminem verentur, imitantur neminem, ipsi sibi exemplo  
 sunt. Praeterea nulli ita fauebunt, ut veritatem adulterent,  
 memores eorum, quae clarissimus ad Albim poeta, paullo an-  
 te laudatus, morum studiorumque testimonia de suris obser-  
 uanda saepe commendavit, in *otio semestr. publ. p. 31. 58. 60. 77.*  
*116. \** Praefari haec lubuit orationi *de praecentoribus veterum,*  
 qua, more hic recepto, publice Musis nostris vale dicet OET-  
 TELIVS. Hic velut per illud tempus, quo moderatus sum e-  
 ius studia, sui habuit modum, partesque probi ac seduli disci-  
 puli obiit: ita, per aliquot hic annos maximis cumulatus be-  
 neficiis, suam abiturus pietatem omnibus, quibus officio de-  
 uinctus est, cras ab *hora VIII.* declarabit. Meretur eius sermo,  
 perinde ac IO. CHRISTIAN. GOEHLI, Numburg. λόγος  
 προπεμπτός, temporari accommodatus atque *de angelorum mu-*  
*sica* agens, frequentiam auditorum ac studia, quae ut a VO-  
 BIS, Maecenates ac fautores, expetimus: ita discessuro Mu-  
 sarum nostrarum alumno prosperos rerum successus et fau-  
 sta quaeuis adprecamur. P. P. Numburgi instante die  
 festo Michaeli sacro anno, quam reditum est  
 in gratiam, MDCCXXX

\* Inter pia desideria scholastica hoc refert clar. HALLBAVERVS;  
 dantur testimonia ea fide, quam quisque publicae rei debet; praef. ad Sturmii  
 opuscul. de instit. scholast. hoc anno edit. p. 35

\* \* \*

AL







ax  
515  
17.

X 2316428

II g  
232

D. O. M. A.  
MODESTVM IVDICIVM  
DE  
**SCHOLASTICIS**  
**TESTIMONIIS**  
**AEQVIORIBVS**  
ARBITRIS SVBMITTIT  
SIMVLQVE  
AD  
**SERMONEM ALIQVEM**  
**ΑΠΟΒΑΤΗΡΙΟΝ**  
BENEVOLE AVDIENDVM  
**OMNES MVSARVM FAVTORES**  
QVA PAR EST OBSERVANTIA  
INVITAT  
**M. IO. CHRISTIAN. STEMLERVS**  
SCHOLAE SENATORIAE RECTOR

**NVMBV RGI**  
LITTERIS BALTHASARIS BOSSOEGELII

